

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8274

Auteur(s) : Guillaume de Lonrai [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1257

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume de Lonrai, chevalier, confirme, en qualité de suzerain, les aliénations de bois et de terres, au Buat, faites par Nicolas Chevreul, chevalier, seigneur de Soligni, en faveur de l'abbaye de la Trappe.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, S. « De nemoribus », n° XXVIII, p. 470-471.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Guillelmus de Longreio, miles, salutem in Domino. Noveritis quod, cum Nicholaus Chevroel, miles et dominus de Soligneio, de consensu et voluntate domine Margarete, uxoris sue, concedente insuper et confirmante domino Guillelmo de Cetonio, milite, fratre et domino antedicti Nicholai, tradidisset et concessisset viris religiosis, abbati et conventui Domus Dei de Trappa, cisterciensis ordinis, totum nemus suum quod vocatur Parchum, cum fondo terre ipsius, habendum et tenendum ac integre possidendum predictis religiosis per metas que continentur in carta quam antedicti religiosi habent de predicto Nicholao, in bosco et plano, in perpetuum, cum omni jure et districtu et omnibus pertinentiis ejusdem que ipse Nicholaus habebat vel habere poterat in eodem, libere et quiete, pro annuo reddito decem librarum monete cursalis in Corboneto, in festo sancti Remigii, annuatim, sibi et post eum heredibus suis centum solidos, et Guillelmo de Buato, clerico, vel mandato ipsius, alios centum solidos persolvendo ; et, cum postea prenominate Nicholaus Chevroel, de consensu et voluntate predictae Margarete, uxoris sue, antedicto Guillelmo de Cetonio etiam confirmante, vendidisset predictis religiosis, pro centum libris turonensium, quos habuit ab eisdem, terram cum bosco et brueriis, que mea erant, quam terram predictus Nicholaus habebat juxta bruerias dictorum religiosorum quas habebant apud Buatum, junctam ferrerete et chemino quo itur de dicta ferrereta juxta predictum parchum de Soligneio apud Chantemelle, tenendam et habendam predictam terram antedictis religiosis per metas contentas in carta quam habent de predicto Nicholao, suo sigillo sigillata, cum bosco et brueriis et omnibus pertinentiis suis, reddendo annuatim predicto N[icholao] et heredibus suis, in festo sancti Remigii, quinque solidos monete cursalis in Corboneto, ab omnibus aliis rebus ad quoscumque pertinentibus quoquo modo bene, pacifice, libere penitus et quiete, exceptis tantummodo duello, raptu, homicidio et latrone ; ego, predictus Guillelmus de Longreio, capitalis dominus predicti Parchi et predictae terre cum boscis et brueriis antedictis, concessi et confirmavi supradictis abbati et conventui traditionem et venditionem omnium predictorum sibi factas a predicto Nicholao, ut ipsi habeant et teneant et in perpetuum possideant antedictum nemus quod vocatur Parchum cum fondo terre et predictam terram cum bosco et brueriis, per metas nominatas in cartis quas antedicti religiosi habent de predicto N[icholao], ex his sibi factas, bene,

pacifice, libere penitus et quiete, quemadmodum in cartis quas habent de predicto Nicholao plenius continetur, tamen ut feodum laicalem, salvis michi et meis heredibus jure et servitiis nobis de jure debitis predictis quando de jure evenerint facienda. Pro hac autem concessione et confirmatione habui de predictis religiosis viginti libras turonensium in denariis numeratis. Que concessio et confirmatio ut sint firme et stabiles in perpetuum, ego dedi eisdem religiosis litteras meas presentes, sigil li mei munimine roboratas. Anno Domini M° CC° L° septimo.